Col. Rom. Soc. Jes. Cat. ins: D.5.

DE NVPTIIS

CAROLI EMANVELIS SERENISS. SABAVDIAE DVCIS. SVBALPINORVMQ. PRINCIPIS, ET AVGVSTISSIMAE CATHERINAE AVSTRIACAE PHILIPPI SERENISSIMI ET INVICTISSIMI HISPANIARVM REGIS FILIAE,

PROTEI VATICINIVM.

Iano Peluſio Crotoniata Authore.

Bibliothecae Coll. Rom. Soc. Jes.

PLACENTIAE Typis Io. Bazachij, 1585.
Permiſſu Superiorum.

AD FRANCISCVM PANIgarolam valde Reuerendum Fratrem Ordinis Obſeruantiæ,

SACRORVMQ. CONCIONATORVM huius ætatis Principem.

FElix ante alias felix Inſubris in orbe
Terra, virum talem cui genuiſſe datũ eſt:
Nunq̃ tam doctũ Mauortia Roma creauit,
Nec tam facundum Græcia magna tulit:
Quid mirum ſi te ſpatioſa Hiſpania poſcit:
Italia exoptat: Gallia habere cupit.
Cum loqueris populo in tẽplo: tibi copia fãdi
Melle magis Siculo dulcis ab ore fluit.
Si te de cathedra pandentem dogmata legum
Sacrarum audirẽt turba proterua Scythe,
Protinus eiecto Magmedis iure nefandi,
Cum ſancta acciperent relligione fidem.

MICHAELI BONELLO
Alexandrino S.R.E. Illuſtriſs. & Ampliſſimo Cardinali.

Ianus Peluſius Crotoniata S. P. D.

CVM conſtituiſſem Illuſtriſſime, atq; Ampliſſime Cardinalis, hoc Protei vaticinium typographicæ impreſſioni tradere, non fuit mihi difficile inuenire, cui illud honorificentiſſime dicaretur. Ipſe enim antequã ab vrbe Roma valde bona, & honeſta conditione, ab Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Duce OCTAVIO Parmam eſſem accerſitus, vt Ranutiũ eius nepotulum litteris Græcis, & Latinis inſtituerem, atq; erudirem: ita te Philippi Hiſpaniarum Regis Sereniſſimi, & Regum omnium quot ſunt, fuerunt, eruntq; potentiſſimi ſtudioſum comperi: vt iureiurando veriſſimo audeam affirmare, nullam eſſe dimicationem, nullum laborem, nullum periculum quantum vis graue, & difficile, quod pro illius Maieſtate libere, & intrepide ſubire non audeas. Caroli vero Emanuelis Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, Subalpinorumq; Principis Opt. & integerrimi tam amantem

cognoui,ut cui Principi,Duci,Dynaſtæ,Te
trarchæ,Cardinali,Regi,Imperatori,& He-
roi deniq; in hac parte cõcedas, reperiã pro
fecto neminẽ. Quod cũ ita ſit, hoc Protei va
ticiniũ, in quo de Auguſtiſſimæ Catherinæ
Auſtriacæ,& eius lectiſs. viri cõiugio, & lau
dibus agitur, nulli aptius, ac decẽtius, quã
Amplitudini tuę debuit conſecrari. Quãdo
igitur vtriuſq; familiæ diuinæ potius quã
humanæ ampliſs. & fauſtiſs. nuptijs ſic gau
des,& exultas, vt in hac re nõ modo tui loci,
atq; ordinis purpuratos Antiſtites, ſed cu-
iuſlibet etiã generis Proceres lõgo interual
lo poſt te relinquas, accipe Peluſij clientuli
tui obſeruãtiæ,& fidei monumentũ, accipe
obnoxij, ac deditiſs. animi pignus: & ſi tale
nõ eſt, quale fortaſſe vel amplitudo tua, vel
tua sũma eruditio poſtulat: illud propẽſio
re volũtate pẽſato. Et quãdo veſtigia Pij V.
auũculi tui,& Põtificũ omniũ, qui ab anno
Diui Petri ad hãc vſq; diẽ fuere Opt.& præ-
ſtãtiſſimi pro virili, & magna cũ omniũ ad-
miratione perſequeris, Deũ Opt. Max. ora-
mus, vt S.R.& Catholica Eccleſia te quoq;
Pontificẽ Max. aliquando videat, foueat,&
amplexetur. Tunc enim ſine vlla dubitatio-
ne quæ nũc ore polliceris, re præſtabis. vale.
Placentiæ Cal. Maij. Anno ſalutis noſtræ.
CIↃ IↃ IↃ LXXXV.

DE NVPTIIS CAROLI EMANVELIS Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis, Subalpinorumq; Principis, & Auguſtiſs. Catherinæ Auſtriacæ Philippi Sereniſs. & Inuictiſs. Hiſpaniarum Regis filię, Protei vaticinium.

REGIS PHILIPPI *nata, ſpōſa* CAROLI,
Ex Barcinone Regijs
Cælo, Mariq; cum ſereno nauibus
Veheretur in Sabaudiam:
Dextra, & ſiniſtra Nereidum cinctus choro
Proteus futuri præſcius,
Plenus furore pectus almi Apollinis:
Hæc ore fata protulit.
Dijs amicis, & benigno ſydere,
CATHERINA *Regis filia,*
Magniq; facta ſponſa Carli Principis,
Defertur in Sabaudiam.
Vbi beata cum beato coniuge
Viuet Sibyllæ ſecula:
Dabitq; natos, laude, honore, nomine
Præſtantiores Regibus,
Quot aureæ Sabaudicæ, quot inclytæ
Tulere matres Auſtriæ:
Quos ſummus omnes Maximuſq; Pontifex
Cinget Corona Regia

Romæ, antè multos purpuratos præſules,
Quiritium & præſentiam.
Iocoſa tunc imago ſigna gaudij
Ex Vaticanis collibus
Oſtendet ore: Tybris efferet pater
Caput decorum ex gurgite:
Et læta cuncta, cuncta fauſta, & proſpera
Cupiet nouellis Regibus.
Pueri & puellæ voce dicent tinnula,
Io Auſtria, & Sabaudia:
Caterua circumfuſa ſubdet inuicem,
Io Auſtria, & Sabaudia
Virtute Macti Reges, laude creſcite
Ad nomen indelebile.
Vates repleti ſpiritu prophetico,
Sic præcinunt mecum fore.
Firmate Fata quæſo veſtro numine
Deſyderia Sabaudica:
De parte læua Iupiter cæli tonet,
Faciatq; rata hæc omnia.
Pol ſic erit: mi deuolans Cyllenius
Non vana ad aures detulit
Haud viſus vlli. Gaudeat Sabaudia,
Catherina quos pueros dabit,
Erunt honori Chriſtiano ſanguini,
Super aſtra noti gloria:
Anniſq; ſe voluentibus, Sabaudiæ
Iungent togatos Inſubres:
Terra Mariq; dein tyranno Thracio
Victo, incruento prælio:

Potien-

Potientur altis mœnibus Byzantij,
Pelopisq; terris: Græcia
E ſeruitute erepta gentis Barbaræ,
Quam iubilat? quot gratias
Agit beatæ filio puerperæ?
Et Ternionis numini?
Metu ſoluta, templa Diuis erigit,
Quæ Pœnus ante euerterat:
De more mactat victimas: altaria
Calent vapore Thureo.
Pylos, Methone, Neritos, Nicopolis,
Vrbesq; cunctæ Achaicæ,
Hac expeditæ Barbara tyramide,
Lætas choreas ductitant:
Pijsq; Diuis grata portant munera,
Soluuntq; quæ ante vouerant.
Arcus, ſagittæ, ſcuta, peltæ, acinaces,
Spoliaq; ſumpta ab hoſtibus,
Turmisq; ſigna adempta militaribus,
Suſpenſa pendent e tholo.
Gaude Geneua, liberata ab hæreſi,
Heros redibis ad tuos:
Et veritate cognita, promptiſſime
Dabis retrorſum lintea:
Ac ſanctiones reſpues, quas ſeuerant
Caluinus, & Pelaſgius.
Spumare terno flumen Hebrum ſanguine,
Scythaſq; cæſos voluere,
Cruore tinctum Boſphorumq; Thracium,
Captamq; claſſem Turcicam.

Aſiæ tyrannus abſq; ſceptro eburneo,
Veſte, & tyara regia,
Confiſus atra nocte, per teſqua inuia
Fuga ſaluti conſulit;
Sed conſulat, fugiatq; ventis ocyus,
Illum ſequetur Allobrox:
Et conſecutum vulnerabit lancea,
Thraetq; vinctum ad patriam.
Alpinaſub caterua pro victoria
Aedes adibit Cælitum:
Chriſtumq; feſtis, & profeſtis lucibus
Ad aſtra tollet laudibus:
Sæui quod hoſtis fregerit proteruiam;
Trucesq; Turcas fuderit.
Cerno colonos Cyprios ab inſula
Scytha fugato milite,
Referre multa ſigna militaria,
Ducem canentes Carolum.
Domabit armis Allobrox Britanniam,
Regnumq; habebit Belgicum:
Chriſti Sepulchrum Chriſtianis gentibus
Cum laude reddet maxima.
Ibit, redibit quiſq; ad oras patrias
Ex vrbibus Iudaicis.
Longinqua ab ora multitudo maxima
Terra mariq; confluit
Viſum ſacellum ſanctitate fulgidum,
In colle Loreti ſitum:
Concepit in quo ſancta virgo filium,
Atq; educauit vbere:

Lota

Lota hic lauacro fluminis ſanctiſſimi,
Atq; expiata ſordibus,
Fidem ſequetur Chriſtianæ Eccleſiæ,
Chriſtiq; ſancta dogmata.
Sudare quercus mella cerno roſcida,
Sentes acutas balſamum:
Tutus viator ibit vſq; ad Indiam,
Tutus redibit ad ſubs
Lares ab Indis: omnis herba noxia,
Nocensq; ſerpens occidet:
A Solis ortu ad occidentis inſulas,
Ab Auſtro ad Arctos frigidas,
Mercator æquor puppe ſulcans Cypria.
Res tutus aduehet ſuas.
Pirata nullus nauigantes exuet
Vita, phaſelo, mercibus:
Viamq; nullus obſidebit efferus
Latro rapinis victitans:
Lupus bidentes non vorabit: miluius
Non findet vngue turtures.
Pacata bello à Regibus Sabaudicis
Pacem tenebunt omnia.
Aſtræa terris quæ relictis antea
Virûm impiorum moribus,
Iouis tonantis ad nitentem regiam
Volauerat per aera:
Deſerta rurſus iudicum ſubſellia
Reuiſet: alto ab æthere
Delapſa pennis ad domos mortalium
Iuſſu parentis Cælitum.

Na-

Naſcente Chriſto in omnibus Terræ locis
Hæc contigiſſe nouimus.
Exceſſit antro tetricus Trophonius:
Latona fugit e Delo:
Migrauit vrbe Pergamena Aſclepius:
Deceſſit Ammon corniger
Templo e profano: vanitas Apollinis
Plutonis iuit ad Chaos:
Dodona ſortes, Pytho ſortes Delphica
Dare hæc, & illa deſtitit:
Nec his, nec illis edidit viris Themis
Oracla in oris Phocidos:
Siſtrata iunix, atq; latrator canis
Liquere fanum proprium.
Regnantibus Sabaudicis videbimus
Hæc fieri in orbe Regibus.
Caluinus exul ibit ex Britannia:
Lutherus ex Germania:
Pelletur Vgo de comata Gallia:
Geuſeusq; tota Flandria:
Apollinaris, Ebion, Meletius,
Cherinthius, Sabellius,
Cerdo, Beryllus, Nyctages, Eluidius,
Manes, Nauatus, Aetius,
Tertulliana ſecta cum Templarijs,
Et cæteris hæreticis
Viſet colonos hinc fugata fuſtibus,
Septemtrionis horridos:
Vbi ſepulta ſub niuoſis montibus,
Nunquam videbit æthera.

Extermi-

Exterminari Perſicos aruſpices,
Et Marcionis hæreſes,
Cum factione Apellis improbiſſima
Ex orbe toto conſpicor:
Delubra tractu culta longi temporis
Magmedis exectrabilis,
Falſiq; vatis, fundo ab imo dirui,
Cum ritibus video ſuis;
Vbiq; Chriſtus ſoſpitator gentium
Regnabit, eius & fides,
Ouile ad vnum paſtor vnus optimus,
Et maximus coget gregem,
Ne pluribus: reuertet ætas aurea,
Nec in Latium ſolum uetus,
Vrbes ſed omnes Chriſtianæ Eccleſiæ,
Et non recedet amplius.
Tutela gentis Martiæ, Quiritium
Decusq; dulce, & gaudium,
Te Carle Perſa, Medus, Indus, Lydius,
Arabs, Sabæus, Derbices,
Ganges, Hydaſpes, Tigris, Ister, Bagrada,
Melas, Cayſter, Axius,
Et belluoſus qui Britannos alluit
Oceanus vndis vltimos,
Colent honore, ut numen alto ab æthere
Delapſum ad oras Italas:
Bonoq; recti conſilio, & prudentia,
Edicta ſeruabunt tua:
Iano Quirini cuncta clauſo obprobria
Sedes reuiſent Inferas:

Artes

Artes redibunt optimæ: licentiam
Freno vagantem comprimes:
Vates locutus hæc, ad algæ pabulum
Gregem natantem compulit:
Quæ dixerat, quæ fecerat, vir Tethyos
Notata miſit vatibus.
Adeſte magni Principes: magni Duces
Orbe ex remoto currite:
Catherina dote formæ inæſtimabilis,
Et præter omnes virgines
Sic vultu, ut ore liberali prædita,
Ad Regiam Sabaudiæ
Ad lætitias, ad feſta nuptialia,
Choreaſq; uos omnes uocat:
Matres venite floridis cum veſtibus,
Onuſtæ & unionibus:
Princeps Sabaudus apparat conuiuium
Tam maſculis, quam fœminis:
Poſt diſtributa Satrapis primoribus,
Viriſq; magnis lautia:
Iubebit ampla dona, larga munera
Aeque poetis diuidi,
Quot hoc Latinis verſibus connubium
Tulere ad alta Sydera:
Gaudete vates: tanta liberalitas
Vos reddet omneis diuites:
Nec vos egeſtas amplius faſtidio
Laceſſet, aut moleſtia.
Sed inuidere tanta vobis præmia
Tuſcos poetas audio:

Queis

Queis peruagari per patentes non licet
Europa quos campos habet:
Sed perpuſillis finibus clauſi, velut
Anguſtiore ergaſtulo,
In oppidis Hetruriæ pauciſſimis,
Atq; Italis ſe continent.
Pro luce fauſta, proq; fauſta copula,
Pro nuptijs ſolennibus,
Ferientur omnes floribus vincti caput
Et oppidani, & ruſtici:
Ligone nemo findat arua: bucera
Ceſſent labore prædia:
Clauſis tabernis nullus artem exerceat,
Forum ſit orbum litibus:
Sit læta rure, læta in urbe fauſtitas,
Foris, & intus otium:
Et tam iuuenci, quam puellæ nubiles
Congratulentur nuptijs:
Ducis ſabaudi ſponſa, Regis filia,
Catherina virgo florida,
Digna eſt amari, digna tolli ad ſydera
Græco, & Latino carmine:
Honore formæ clara, clara dotibus,
Qualis fuiſſe dicitur
Pandora quondam pulchra: pulchra Tyndaris
Huic cede pulchritudine,
Et tam probata caſtitate nobilis
Concede & huic Lucretia.
Honore quanto nuptias confecerit
Hiſpaniæ Rex inclytus,

Auguſta ſcit Cæſarea præclariſſima
Vrbs, cui videre has contigit;
Omnes potentes Principes, omnes Duces,
Iuuenculæ, & iuuenculi
Forma ſuperbi, ſtemmate, & pecunia,
Ad nuptiale guadium
Venere vincti ſuauiter ſpirantibus
Caput corollis myrteis.
Duces quot eſtis orbe nati in Italo,
Primariæq; fœminæ,
Omnes auita, & regia propagine,
Opibusq; magnis fulgidæ,
Adeſte purpurantibus cum veſtibus,
Vt mos requirit regius:
Auguſta uos Taurina nobiliſſima
Ad nuptiale vinculum
Vocat Philippi nata regis optimi,
Catherina noſtri gloria
Secli, & prioris, Sole fulgens purius,
Et melle dulci dulcior,
Iunone magna copulatur auſpice,
Vxorq; fit Sabaudiæ:
Ducis decori ſtirpe clara, & regia,
Armis, pietate, & litteris:
Certate nixu quam poteſtis maximo,
In his ſuperbis nuptijs
Vincatis omnes Principes Iberiæ,
Duces & omnes Galliæ.
Plures (ut aiunt) namq; præſtantiſſimi
Venere ad hæc connubia,

Sed

Sed quando nos in nuptiali carmine,
Sat ante multa diximus
De Carolo Sabaudico, de Iberica
Regis Philippi filia:
Finem canendi facio; et oro Cælites,
Feliciter, concorditer,
Viuant ut ambo mente ſani, & corpore,
Annos trecentos Neſtoris.

In die feſto ſanctæ Crucis.

HÆC eſt dies, Ieſu
Qua gentium redemptor,
Es pro ſalute noſtra
Paſſus graues dolores,
Crucisq; ligna portas:
Vbi manus, pedesq;
Confixus, eleuaris
Inter duos latrones:
Mortemq; morte vincens.
Nobis habere donas
Aeterna dona vitæ,
Nam Tartari e profundi
Nos eripis tenebris,
Cæliq; tecta pandens,
Nos impium, malumq;
Euæ genus, reponis
In ſedibus beatis.
Pietas ſtupenda, magnus
Tu Rex, paterq; Diuum,
Vis vilis eſſe ſeruus,
Vicemq; ferre noſtram.

Hæc

Hæc cum voluto mecum,
Et tollere, & ſubire
Crucem peropto, teq;
Dominum ſequi patremq;.
Sine te poteſt olympi
Intrare nemo ad arcem:
Sine te maneret omnes
Aeterna pœna mortis,
Locusq; morte peior.
Ergo benigne Ieſu,
Si te requiro ſolum,
Tuumq; adoro numen
Supplex in æde ſacra,
Per ſpineam coronam,
Plagaſq; quas tuliſti
Hac die, profani
In atrio Pilati,
Dignare me miſellum
Tua domo, tuiq;
Regno patris ſupremi.

In Meuium poetam.

QVÆNAM *te Furiæ miſelle Meui*
In meas ſatyras, meoſq; iambos
Agunt præcipitem? malus quis hoſpes,
Aut ciuis, tibi ſuaſit, a ſodali
Tuo deficeres Crotoniata?
An ut plebis in ora deuolares?
Exulta, dabitur tibi quod optas.
Nam meis ſatyris, meiſq; iambis
Eris notus in urbe, & orbe toto.

LAVS DEO.